



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 38. Scriptorum Catholicorum mors, eorumque opera.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Sæc. XVIII.

A. C. 1727

Inter Principes Ecclesiasticos hoc anno denotus maximi doloris argumentum exstitit Franciscus Antonius Comes de Harrach Archiepiscopus & Princeps Salisburgensis, qui decima octava Julii die ex libello preces suas persolurus tactus apoplexia Mirabelli decessit, ab omnibus summopere deploratus, quia omnibus benefecit, & nulli unquam nocuit: Attigerat annum ætatis suæ sexagesimum secundum. Successorem habuit Leopoldum L. B. De Firmian Labacensem Episcopum, cum enim hoc anno per obitum Leslæi Episcopi hæc Sedes vacaret, Leopoldus ex Seccoviensi ad hanc Ecclesiam transferebatur.

## §. XXXVIII.

*Scriptorum Catholicorum mors, eorumque opera.*

**P**aucos ex Scriptoribus Catholicis, qui hoc anno obiire, adjungere lubet. Hos inter primo loco recensetur Guido Alexius Lobineau Benedictinus Congregationis S. Mauri, qui Superiorum jussu Britannicæ Historiam, quam P. Gallosius morte præventus absolvere non poterat, auctam, atque emendatam duobus majoris molis voluminibus edidit, quoniam vero, fors  
suæ



suæ Nationis affectu abreptus, Bri- Sæc. XVIII.  
 tanniam a Normanizæ Provincia bene- A. C. 1727.  
 ficiario jure dependere inficiabatur,  
 Normanorum crisin ac censuras paulo  
 acerbiores sibi accersivit, contra quas  
 tamen suam propugnaturus opinionem  
 libellum & epistolas typis vulgavit;  
 unacum literis ad Britannizæ Ordines,  
 quibus prospectum indicavit eorum,  
 quæ in tertio & quarto ejusdem Hi-  
 storizæ tomo referenda essent, Insuper  
 Gallice reddidit celebrem Historiam de  
 bina Hispanici Regni expugnatione a  
 Mauris primo per Mussam & Tarissum,  
 secundo per Abdalassim facta. Scripsit  
 etiam reflexiones in Armoricorum Apo-  
 logiam, ubi contra quemdam Criticum  
 demonstravit, Christi Evangelium Bri-  
 tannis ab Ennio aliisque Apostolis ad  
 Gaulos delatis non fuisse sæculo quarto  
 annuntiatum. Denique idem Scriptor  
 Historiam Parisiensem a P. Felibier  
 compositam recognovit, & Historiam  
 Sanctorum, aliorumque pietate insig-  
 nium Britannorum elucubravit. II. Ni-  
 colaus de Malezieu Burgundizæ Ducis  
 Institutor, ad cujus instructionem edi-  
 dit Elementa Geometriæ præter plura  
 alia tam in soluta quam ligata oratio-  
 ne. III. Ludovicus de Sacy Parisiensis  
 Advocatus, qui anno ætatis suæ se-  
 ptuagesimo tertio die vigesima sexta



Sæc. XVIII.

A. C. 1727.

Octobris Parisiis mortuus posteris reliquit elegantissimam versionem Plinii Junioris epistolarum, & Panegyris Trajani, præter tractatum de amicitia, & alium de gloria, necnon juridica quamplurima. IV. Franciscus Abbas de Paris Parisinæ Ecclesiæ Diaconus, unus ex illis, qui a Constitutione appellaverat, & simulata pietate mala, quæ ex dicta Bulla & Alexandri VII. Formularium in Ecclesiam redundassent, jugibus lacrimis deflens, die prima Maij obierat, a Quesnelistis pro Sancto habitus, uti postea referemus: Edidit commentaria in quæstionem dogmaticam Epistolæ S. Pauli ad Romanos & in Epistolam ad Galatas, necnon explicationem harmonicam Evangelii S. Matthæi. V. Joannes a S. Anna Carmelita Excalceatus, qui tractatum Isagogicum S. Scripturæ, necnon Chronicon Sacro-Biblicum, totius S. Scripturæ Historicum, & Deutero-Prædicamenta Biblica elucubravit. VI. Joannes Bonaventura a S. Joseph ex eodem Ordine, qui sacras reflexiones Urbi Ubetensi dicavit in gratiam natalis Principis Ludovici I. Asturiorum: Concinnabat etiam explanationes in Cantica, Isaiam, Psalmos & in illud Joan. 6. *Colligite, quæ superaverunt fragmenta.* VII. Jacobus Bouillard Benedicti-



dictinus Congregat. S. Mauri, qui ve-  
rum Ufuardi Monachi martyrologium  
imprimi curavit, additis notis & præ-  
fatione, in qua P. Solierum confuta-  
vit; scripsit quoque Historiam Abba-  
tiæ S. Germani de Pratis.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1727.

§. XXXIX.

*Scriptores A catholici hoc anno  
mortui.*

Inter Scriptores A catholicos hoc anno  
denatos celebriores sunt. I. Au-  
gustinus Hermanus Francke, qui pu-  
blici juris fecit methodum studii Theo-  
logici, Ideam studiosi Theologiæ, ob-  
servationes Biblicas unacum apologia,  
introductionem ad lectionem Prophe-  
tarum, Prælectiones Hermeneuticas,  
Monita Pastoralia, Commentationem  
de scopo librorum V. & N. Testamenti  
præter tractatum de emphasibus Scri-  
pturæ. II. Joannes Huldreichus Hey-  
den, qui prælo subjecit librum de Scri-  
pturæ S. Divinitate, de triplici lumine  
naturæ, gratiæ & gloriæ, præter plura  
alia. III. Joannes Andreas Darz, cu-  
jus inter multas lucubrationes cele-  
brior est ejus Interpres Hebræo-Chal-  
dæus, Literator Hebræus, & Com-  
pendium grammaticæ Hebræo-Chal-  
dæicæ. IV. Ernestus Meier, vulgo